



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Vt locus pilis glaber fiat. Cap. IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

Canus capillus quomodo tingatur niger.

Sanguisugis, quæ nigerrimo vino computruerint sexaginta diebus, capillos sole illinas, & nigerrimi fiunt: vel aceti sextarijs duobus, sanguisugarum sextarium in vase plumbeo totidem diebus putrescere finito, & ut diximus, capillis exhibe. Plinius tantam vim tingendi habere dixit, ut nisi oleum in ore habeant, qui tingunt, dentes quoque eorum denigret. Si vis verò,

Longi, & nigri capilli ut fiant.

Accipe lacertam viridem, & a motis capite & cauda, decoque in oleo communi, & tali inunge caput. Habebis quoque &

aliud.

Hoc tamē commodè tinges modo barbam, & capillos, si cui canescunt. Argentea spuma, combustum æs, fortis lixiij quadruplo permiscetur, dumq; leuibus prunis in bullas exurpit, lauabis, & resiccatos calida perlues aqua. Nos hoc vsumus ex antiquorum voto. Ex quercus cinere, & calce viua lixiuum fecimus, quod vulgus *capitellum* vocat, in eo decoquimus lithargyrum argenteum, inde alba lana experimentum capimus: nam si nigro tingitur colore ex voto, exime ab igne: sin minus coque. Si lanam exedit, addito aquam, sin minus tingit, adde lithargyrum. Hoc capillum, vel barbam lauabis & nitido, & nigro colore canos tingit, nec detegitur fraus: nam quanto diutius laueris, nitidius nigricat.

Ut locus pilis glaber fiat. CAP. IV.

QUIA sæpè accidit, ut locus pilorum multitudine deturpetur, vel nuditate, docebimus quomodo glaber & pilis densus locus pilosus, & psilothris glaber fiat. Hoc est

Psilothrum vulgare.

Quo passim in thermis vtuntur. Constat vitæ calcis partibus quatuor, reductis in pulueris modum, auripigmenti singulari, & decoque. Experimentum erit penna gallinacei, quæ quum depilatur, coctum erit, caute ne nimis coquatur, aut nimis supra cutem nioretur, nam vrit. Quod si ex vnguento vti cutem accideris, po-

pulneo ex oleo rosaceo, vel violaceo iniuncto, cessat dolor. Id in balneis faciendū, quod si defecerint, supra candentes lapides, vel tegula insparfa recipiat mulier, bene pannis circumdata, sumum, vt sudet, post sudorē abluat se calida, & abstergat, post se totā inungat, nam perlita loca glabrescunt illico, & partes omnes hoc modo pube immunes seruari possunt. Antiquiores his utebantur. Vt Saserna, referente Varrone, in libris de Agricultura docet. Si quem gelabrum, inquit, facere velis, ranam luridam conijcito in aquam, vsq; quo ad tertiam partem decoxeris, eaq; inungito corpus. Sed pro rana lurida rubea intelligenda est, nam rana tali facultate orbata est. Salamandra in oleo liquefacta pilos euellit, ex Dioscoride. Sed potior erit virtus, si in oleo macerata, & liquefacta fuerit. Salamandræ sanie, quæ lactea ore vomitur, quacunq; corporis parte contacta, totius defluunt pilos. Dioscorides scolopendram marinam oleo decoctam & illitam, capillos euellere dicit. Sed

ad pilos retardandos.

Si oleum ex hyoscyano expresseris, scilicet è seminibus prelo, vel succo illeueris loca depilata sepius, tardè renascuntur. Idem fieri cōtingit ex cicutæ succo. Vel ut pilorum fiat ablatio. Formicarū ouis rubeum auripigmentum, & hederæ gummi cum aceto addebant, & depilatum locum fricabant. Olim hyacinthi radice adfricata puerorum pubi, pilos nasci prohibebant: Ob id mangonijs vernalitijs pulchrè nota, quæ in vino dulci illita pubertatem coerces, nec patitur erumpere. At si velis

Pilos amplius non renasci.

In quo profectò nō parum insudauimus, tum pleraque experti sumus, quæ falsa reperimus. Locus calida aqua prius fouendus, ac singulatim mulierū forficibus euellendi pili: inde salnitrum aqua soluendū, ac pilorum foramina perlipēda. Melius fiet sulphuris oleo, & optimè chalcanti, sic nunquam renascuntur, vel si post annum saltem molliculi: quod si diem opus peregeris, glabra loca perpetuò manebunt. Sic mulierum frontes latiores effecimus, & loca etiam calidiora depilauius.

Quomo-